Aphorismi Pædagogici,

quos

Consentiente Max. Vener. Consist. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

p. p.

BENEDICTUS ANDERSSON,

Ph. Mag. vicibus doc. cum Rectore Scholæ Helsingb. h. t. fungens.

Respondente

OLAVO VILHELMO THULIN,

Scano.

In Academia Carolina die XXVIII Aprilis MDCCCXLIX.

H. S.

Lundæ,

typis BERLINGIANIS,

MDCCCXLIX.

Aphorismus I.

Apte illud Wolfii: *perfice te* ad totam institutionem humanam, jam inde a prima hominis ætate usque ad ultimam rerum lineam, accommodare licet. Nam si homo jam ab ortu id factus esset, ad quod natus apta eorum evolutione, quæ ejus sunt propria, aliquando adscendet, nulla utique ei opus esset disciplina, qua informatus summum humanitatis impleret fastigium. Cum vero homo a minoribus sensim ad majora adscendere debeat, ut ad illa summa perveniat, statim ab ipso quasi limine per disciplinam quandam ei erit subveniendum. Sed quæ aut qualis hæc sit disciplina, disceptari licet. At tamen hoc certe constabit, omnem cujusvis rei disciplinam iis, qui illam nosse desiderant, ut simul geminum ordinem sequantur, imperare; hanc denique disciplinam in duas distribui partes, quarum una est *vitæ,* altera eruditionis, in quibus etiam tota hominis intelligentis vertitur educatio. Tanto enim se sciunt homines melius vivere tantoque sublimius, quanto perfectius eam contemplantur intelligendo et vivendo custodiunt diligentius. Quod quidem si in superiore quodam et summo educationis gradu valebit, in inferiore quoque, qui ipsam spectat institutionem puerorum, quodam modo valeat necesse est. Hæc vero disciplina, ut ipsa per se jam duplicem et vivendi et intelligendi desiderat rationem, quoniam quidem eadem est medicina intellectus, quod remedium est morum, ita etiam ab iis, qui de illa recte judicare possint, usum quendam singularem ac peritiam requirit. Quod

enim quis non experiendo ipse sit assecutus, id leviter tantummodo novit nec quidquam nisi proprio vivendi experiendique vigore compertum umquam poterit recte cognosci. Quæ autem si valent, nescio an ulla in re potius quam in pueris educendis valere possint.

Qualis disciplina, talis institutio, quæ omnem permeat vitam atque ex illa ubicunque olet. Etenim ea, quæ discuntur et aguntur, quamquam non videntur, tamen reapse, interna cogente necessitate, commercio quodam inter se sponte conjunguntur, ex quo fit, ut unum ex altero facile agnoscatur; nec aliud quidquam in vita conspicitur externum, nisi quod prius in interno quodam actu movendi exstiterit. Atque in hoc cernitur ipsa agendi sciendique intima ratio, quod altera alteram ad sese complendam desideret neque crescere nisi pariter cum altera possit. Sed prius in exiguum angustumque concludenda est disciplina, quam ad omnes poterit vitæ partes pervadere. Duo sunt enim orbes, quos inter omnis sit coërcenda institutio, quorum unus, ut seminarium alterius, altero continetur. Ab illo angustiore ad ampliorem latioremque gradatim assurgendum est. Itaque non male præcipiunt, qui jubent, vitæ non scholæ discendum esse, quamquam ipsa vita aliam rerum scientiam ab iis, qui in veri indagatione versantur litterisque se totos dederunt, requirit, aliam ab iis, qui ad usus vitæ ac negotia communia informantur. — Alumnus orbis domestici in majorem hominum inter homines societatem, quæ vitam reddat locupletiorem atque ipsa rerum negotiorumque varietate pulchriorem, in schola est informandus. Ubi vero pulchrum inveniri licet nisi in unitate, quæ omnis *veræ* humanitatis summa atque unica conditio est. Ex quo facile intelligitur, in instituendo sive ratio habenda sit eorum, quæ proxime usus vitæ necessarios attingunt, sive illorum, quæ ad conformationem doctrinæ spectant, aptissimam quamque ad homines educandum disciplinam maxime morali quadam necessitate contineri, quam quidem si dirimant, frustra novas quasdam instituendi vias periclitabuntur.

Aphorismus II.

Illa jam longa vetustate trita regula si fidem habebit: "tantum scimus, quantum memoria tenemus" *), etiam facile apparet, puerum multa posse animo vel memoria tenere. Quæ enim extra sunt, per receptionem quandam contemplando, id quod ætati puerili aptissimum est, haud ita parvam jam habet copiam rerum, quæ eadem gignit copiam verborum. Verumtamen omnis institutio puerilis magis ad memoriam firmandam, quam ad ceteras animi dotes facultatesque ingenii evolvendas videtur spectare. Atqui hic observari licet, memoria sola aliquid custodire, nulla adjuncta agitatione libera mentis, scientiam ullam neutiquam efficere **). Namque ille distinguendi actus, qui et in ea, quæ inter se in memoria, rerum variarum thesauro, diffusa reperiuntur, secernendo et in similibus conjungendis versatur, unamquamque veram rerum scientiam antecedat necesse est. Quocirca memoria sola est via quædam ad subtiliorem altioremque hominis evolutionem efficiendam judicanda. Etiam in puero ex disjectis rerum perceptarum membris totum corpus sive veram scientiam conficiendi nixus quidam apparet. Ipsa videlicet imaginandi facultas ***), qua sensibus percepta memoria custodiuntur, ea quasi materiam, in qua versetur, tractat atque effectrice phantasia huic apparente elaborando usque ad immensum exaggerat; quanto enim pluribus rerum perceptionibus afficitur, tanto latiorem liberioremque campum habet ad agendum, tanto minus ipsis eorum, quæ percipuntur, imaginibus, quæ quidem multifariam exprimuntur, subjicitur.

---

*) Schwartz. Erziehungslehre. Zweit. Band pag. 399.

**) "Un bon systéme d' enseignement doit aider á la fois l'esprit et la mémoire; présenter d'abord les idées dans l'ordre le plus facile â saisir; ensuite les offrir â la mémoire, de manièr, á ce qu' elle les retienne promptement et puisse en évoquer le souvenir à volonté" (Durietz: Traité complet de la methode Jacotot pag. 24.)

***) "Jeder Unterrichtsgegenstand muss in einer dieser drei Formen auftreten: Form der Anschauung, der Vorstellung und des Begriffes" (Gräfe. Allgemeine Pädagogik 2:ter Theil. Seit. 215). — Deinhardt. Gymnasial. Unterricht S. 147).

Itaque omnino illud tenendum est, ut quidquid tradetur, id dilucide et perspicue expediatur, atque ita, ut varius ad captum eorum, qui discunt, pateat aditus. Quod jam cognitum habent, id pluribus modis memoria comprehendendum: ipsa quoque varietate in explicando crebraque repetitione memoriæ quasi inculcandum, quo facilius id et meminisse et memoria recolere possint *).

Aphorismus III.

Ad hanc vero rem methodus illa erotematica aptissima videtur, quamquam concedendum est, instructissimo cuique præceptori fortasse nullam adhibere certam instituendi methodum, sæpenumero omnium esse optimam methodum. Quæstiones genetico quodam modo proponendæ sunt, ut discipulus ex intima eorum, quæ proponuntur, cohærentia possit exponere, quomodo quæstionem propositam acceperit. Etiam hanc illa methodus affert utilitatem, quo facilius intelligat præceptor, quanto cum majore minoreve animi attentione magistrum sequatur discipulus. Sed tamen in una aliqua ratione hæc instituendi via est difficilior quam illa acroamatica, quæ quidem in aliquibus locis plane incommoda videtur. Namque hæc recta sineque ullo disciplinæ puerilis anfractu petit discipulum, quo fit, ut alterna quædam discipuli et magistri exsistat animi contentio. Utrique enim et discipulo et magistro diligens ad suum pensum præparatio adhibenda. Atque hæc instituendi ratio primum ex ipsa pendet perspicuitate animique vigore, quibus quæ

---

*) **Grammatica, cujus formæ maxime sint perspicuæ, ad hanc rem accommodatissima videtur. Neque vero ullæ reliquarum linguarum Grammaticarum, quam latinæ linguæ formæ majore perspicuitate exprimi possunt. (Thiersch. Über gelehrte Schulen pag. 249 etc.). Quæ quidem Grammatica quamvis aliis quibusdam, qui varium variorum vitæ genus respiciunt, minus apta videtur, tamen in facultate ingenii acuenda ceteris adeo antecellit, ut præstantia latinitatis certe in hac re non sit detrahenda. Qui autem volunt, mathematicæ, quæque ad metalla, artemque navalem etc. (Almquist) pertinent, in schola ab initio studendum esse, non satis ipsas ingenii dotes respexisse videntur.**

traduntur, ipse complectitur magister, deinde ex genetico quodam eorum exponendorum ordine. Ipsum errare magistrum perturbateque proponere quæstiones, discipulum hebetem sensim efficit ad intelligendum in respondendoque confusum. Itaque maxime opus esse videtur, quæ res a puerili percipiendi facultate sit alienior, eam prius explicari, quam interrogando proponi, quo possit ad captum puerilem propius accedere. Hæc est enim omnis atque unica disciplinæ puerilis conditio, ut discipulus per viam deprehendatur, qua aditus ad captum illius pateat magistro. Atque ad hanc methodi erotematicæ præstantiam illud accedit, quod alternatim interrogando et respondendo intima exsistat magistri atque discipuli societas, cum hic non modo quæstiones proponat sed etiam ipse, quid ad interrogata recte sit respondendum, apud animum cogitat atque ex ipso responso novas explicet quæstiones, donec omnia, quæ interrogando consequi vellet magister, expedita fuerint ac responso discipuli plane contineantur.

Verum enim vero illa vigens ac viva magistri cum discipulo communitas, quæ hac instituendi ratione servatur, illud etiam efficit, ut intra orbem quarundam doctrinarum puerilium methodus, qua pueri pueros invicem instruere monentur, nullo modo possit tractari; namque ista methodus tantum mechanicam *) quandam præbet sollertiam, velut in arithmeticis, (quæ quattuor species attingunt), sed operam et oleum in largienda institutioni puerili vivacitate perdit.

Aphorismus IV.

Cum de scholastico historiæ studio quæritur, illud sine dubio comprobandum est, quod ea factorum cognitio, quæ immediata quadam perque sensus facta rerum perceptione contineatur, omnium perfectissima **) sit habenda. Hic enim ipsa per se nullis interjectis commentariis res

*) **Geijer. Litteraturbladet 1838 pag. 204.**

) **Beneke, Erziehungs. u. Unterrichtslehre. Zweit. Band pag. 351.

loquitur; cujus quidem exinde oriunda imago animoque concepta vegetiorem semper habet colorem, altiusque in animum penetrantem vim, ideoque perfectior est. Sed hac percipiendi ratione proprie historia, quæ dicitur naturalis contineri potest. Quæ tamen sola parva quadam parte pueris in schola traditur neque in prima institutione omnino adhibetur. At enim institutio puerilis tanto magis novis quibusdam implicatur difficultatibus, quo minus tamquam digito aliquid demonstrari licet, sed omnia per linguam sive vivam sive scriptam discipulis traduntur: quod quidem instituendi genus aut ad ipsa loca, in quibus aliquid gestum est aut ad proelia narranda necessarium est. Hic itaque cum solis verbis rationem habet discipulus, ideoque maxime providendum est, ut possint ipsa verba tamquam indices eorum, quæ exprimuntur, ad rem indicandam quam aptissime quadrare. In hoc autem genere maxime interest, qualis sit in præceptore ipsa docendi facultas, num in discipulo satis sit magna rerum per receptionem quandam perceptarum copia, ad quas eorum, quæ deinceps percipiuntur, transferat similitudinem, itemque tota institutio accurata rerum distinctione judicioque exacto nitatur. Memoria atque imaginandi facultas comites sunt effectrices cognitionis. Res igitur, quæ tractatur, genuinis ac perspicuis signis consignanda est, ut non modo memoriæ inculcetur sed opera imaginationis etiam in animum vivacitatem quandam recipiat. Atque hoc præterea præceptoris est, ut dum vestigia perceptorum maneant, plenam eorum atque planam persequatur repetitionem, ut discipuli ea, quæ præcepta sunt, non modo teneant, verum etiam videant, quam inter se cohæreant. In factis autem eligendis hoc maximum sit, ut ea tradantur, quæ proxime imaginationem puerorum attingant i. e. ejusmodi res, quæ a tenera puerorum concipiendi facultate optime possint repræsentari.

Si ad historiam respiciamus, narrationes illæ biblicæ et tempora Romanorum Græcorumque heroica, quæ dicuntur, universa denique historia antiquitatis propter *morum* simplicitatem ingenuitatemque, ***personarum*** æ-

tati primæ puerili proprior et aptior est, quam ista recentiora tempora, quæ in turba tricarum diplomaticarum obscuritate quadam laborant ideoque huic ætati sunt aliena.

Sed hoc loco considerandum est, ut in illa profana historia discenda, quæ ex elemento quodam mythico obscura sui primordia altissimaque initia ducit, hæc duo evitentur, unum, ne in diffusiores Theogoniarum narrationes atque inhonestas moresque dedecorantes fabulas incurrant *), alterum, ut caveant, ne istæ narrationes ex historia fabulari ediscantur. Namque sola vera historia memoriter pueris reddenda est, mythorumque studium provectioribus ætate, quorum ingenium jam maturitatem assecutum est, recolendum **).

Cum vero huic historiæ altissimis ab initiis tale quoddam elementum inhæreat, quo semper vulgari gentium fidei ac religioni consultum sit, illud quoque in historia antiqua tractanda colendum est genus narrandi. Pueris igitur venustissimæ quæque et elegantissimæ ex mythologia Homerica narrationes tradendæ videntur, quæ veram historiam præcedant; atque præcipua pars historicæ institutionis in historiis Græcorum Romanorumque discendis pueris est ponenda. Deinde reliquæ partes historiæ antiquæ sequuntur, quæ vero omnes ita sunt tractandæ, ut historia Græcorum Romanorumque primas teneat. De historia illa biblica, ut scilicet alio quodam fundamento nixa, hoc loco non est quærenda, quamquam nullo modo in hac institutione prætermitti debet. — In historia medii ævi exponenda hæc maxime spectanda sunt: ingentes istæ moles atque colluviones vage errantium populorum, qui variis regionibus occupatis tandem regnum illud occidentale Romanorum inundabant, Islamismus, ortus Papismi; deinde dominatus imperatorum cum privo quodam jure atque Feudi constitutione. Progressus denique Papismi in profanam do-

---

*) "Nil dictu foedum visuque hæc limina tangat; intra quæ puer est" (Juvenalis Satyr. XII. 44).

**) Herbart. Umriss pædagog. Vorles. 1841. § 237, 246.

minationem assurgentis, qui perspicue illis sacris expeditionibus adversus Saracenos declaratur. His omnibus mediæ Historiæ momentis gravissimis nisi per annales et geographiam lumen adhiberi non licet.

Historia recentior incipit a novis detegendis terris et inventis, quæ ad artes vitamque civilem perfectiores reddendas valuerunt. Ex illo tricenario bello, quo libertas indagandi et cogitandi Reformatione inducta sancitur, usque ad illa tempora, quibus Franco-Galli omnia commutavere — ut brevi complectar —, omnia, quæ ad vitam civilem cujusque populi pertinent, nullo modo sunt prætermittenda. In libris, quibus in schola utimur, res populorum potissimum synchronistico quodam modo tractantur. Cum vero memoriæ inculcata hoc modo fuerint gesta populorum, ad utilitatem discipulorum recte illud narrandi genus, quod ethnographicum appellatur, adhiberi crediderim. (Cfr. Herbart l. l.)

Aphorismus V.

Quamobrem studiis antiquitatis in scholis litteratis vacaretur, si nullam aliam rationem afferre possem, præter hanc intimam illorum ac necessariam cum sequenti hominum eruditione cohærentiam et posteritatis omnium sæculorum disciplinarum atque artium quasi fundamentum, *) hanc utique satis idoneam haberem omnibusque probandam, qui quantum illa decursu sæculorum jam profecerint ad humanum et civilem cultum, plane intellexerint. At vero illæ litteræ antiquæ si ex ejusmodi ratione considerantur, ex studiis earum solam utilitatem quandam historicam et pragmaticam quærere licet. Atque præterea qui convenit, ut illa studia humanitatis, quæ interna cogente necessitate, sese in communem eruditionem aliqua insinuarunt, sive præcipue civilem prudentiam sive omnes artes et disciplinas respicimus, plane possint ignorari aut saltim negligenter tractari? Nam elementum quoddam instituendæ civitatis civiumque doctrina instituendorum, quod illam redoleat antiquitatem, in unoquoque homine cernitur, qui altius in eruditione progressus sit.

---

*) Beneke l. l. pag. 232—3.

Sed alia quædam est caussa, quod hæc studia humanitatis, quorum amorem puerilis doctrina excitabit et subtilior cognitio ac ratio litterarum alet, in scholis colantur. Namque illam severam litterarum antiquarum respicientes disciplinam, qua luxuria ista levitatis puerilis resecari puerique optime ad cogitandum castigari possunt, non possumus, quin easdem in numero referamus eorum, quæ ad conformationem eruditionis plurimum conducere et possint et debeant, maximeque ipsa Grammaticæ Latinæ disciplina hanc efficit cogitandi sollertiam, qua studia ceterarum artium litterarumque valde sublevantur atque animi ad illam conformationem doctrinæ præcipue præparantur. Namque eam maxime ob caussam, quod lingua latina ad concretam rerum considerationem tendit atque ab abstrusiore magisque abstracta rerum contemplandarum ratione abhorret *), fit, ut grammatica ejusdem linguæ, quæ quidem communem ipsius linguæ indolem atque imaginem exprimit, præ ceteris linguarum hodie usitatarum et quidem Græcæ linguæ grammaticis apta sit ad ingenii facultates puerorum explicandas atque conformandas. Etiam illa in cogitando et dicendo tanta claritas Romanorum, qua hanc rerum exprimendarum consequerentur perspicuitatem, ut omnia, quæ dicerentur, tamquam tabulæ bene pictæ in claro lumine collocarentur, magisque ex objectiva quadam rerum specie quam ex impressione earum subjectiva exprimerentur, tantam habet commendationem, ut imitatione esse digna videatur. Illud etiam adjungam, quod hæc pura et incorrupta loquendi consvetudo, quam semper servabant Romani, quæque apud posteriores quoque scriptores Romanos pro regula ac norma scribendi valebat, ad ipsam Grammaticam stabiliendam multum adjuvaret, præsertim cum institutio puerilis certa quædam ac stabilia præcepta grammatices desideret, quæ auctoritatem suam apud puerum semper habere debeat.

---

*) **Fr. Hand. Lehrbuch des Lateinischen Stils, Jena 1839 pag. 84.**